

les sint, fallacia facile detegitur. B. IOH. MAVRIT. HOFFM. huius Academiae olim Professor celeberr. in *Sciagraph. Instit. med.* terminos hos ita declarat: *res naturales in sensu medico sunt, eae, quae hominem constituunt, uel ab illo secundum naturam procedunt. Res nonnaturales, sunt res mediae, seu neutrae, quae pro diuerso usu sanitatis et morborum, causae procatarticae fieri possunt. Res praeternaturales denique illae salutantur, quae principium nostrum uitale, corpusque praeternaturaliter constitutum, indiuisa copula manent.* Quoniam uero haec definitio nimis obscura mihi uidetur, hinc *res praeternaturales* mihi *eae* sunt, quae morbos illorumque causas et accidentia respiciunt; et uno quasi uerbo, in medicina idem sonat *praeter naturam*, ac si dixisses *morbosum*. His itaque terminis praelibatis, nullo fere negotio, illos Medicos ambiguitatem quantam in uocabulo *nonnaturale* recondidisse, apparet: minime enim in scholis medicis *res nonnaturales*, inter quas etiam potus refertur, opponuntur rebus *naturalibus*, sed *res praeter naturales* rebus *naturalibus*. Non itaque sequitur hoc ex fonte, sitim appetitum naturalem non esse, uti putarunt. Quoad secundam obiectionem, quod scilicet nonnulla animalia, u. gr. uultures etc. plane non sitiant et hinc etiam nullum potum assumant, respondeo: a particulari ad uersale hoc modo concludi, et si haec concludendi methodus ualeret, eodem iure homines nunquam urinam reddere debere, quia aues, teste VATERO in *Phys. experimental. system.* p. 810. nunquam mingunt, affirmare